

D A N U B I U S.

Danubius
terminus
Romani
Imperii.

In hoc flumine terminus fuit Romani Imperii, auctoribus Appiano Alexandrino, Dione Græco, Ambrosio in Hexametris, Varrone insuper, Lælio, Salustio, & Ovidio in Tristibus:

*Hætenus Euxini pars est Romana sinistri,
Proxima Basterna Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub jure novissima, vixque
Hæsit in imperii margine terra tui.*

Et paulo post Getas ultra Danubium Romanorum terras invadere dixit. Ausonius tamen & totum Danubium Romanis adscribere nititur, adulatione abreptus:

*Qua gelidum fontem meditis effundo Suevus,
Imperio gravidas qua seco Pannonias.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti,
Invenies fontes hic quoque Nile meos.*

Supra hunc fluvium Trajanus Nerva pontem miri operis in Mœsia construxit, quem de novo Adrianus demolitus est.

De Danu-
bii natura
& incre-
mento.

Ejus naturam variam faciunt scriptores. Herodotus his verbis lib. 4 eum describit: Quod autem semper sibi similis fluit Ister, tam in æstate quam in hyeme, ob id fit, ut mihi videtur; in hyeme enim ningit ac pluit ubique; in æstate vero nix in hyeme delata, tunc liquefit ubique. Nives igitur in Istrum venientes ipsum implent. Et addit: Imbres quoque multi ac vehementes cum nive ipsum augent. Quanto autem plus per æstatem pluit, & quanto plus aquæ Sol trahit, tam in æstate quàm in hyeme, tantum etiam Istrum miscetur. Itaque cum semper paria faciat Ister, tam æstate quam hyeme, datis aquis ac acceptis, semper sibi similis apparet.

De flumi-
nibus in
Danubium
se exone-
rantibus.

In Danubium se exonerant flumina plurima, numero sexaginta, ut asserunt pene omnes probatæ fidei scriptores. Albertus Magnus, Martianus, & Iornandes, per mille ducentorum passuum millia à fonte Istrum usque ad Pontum defluere collegit. Nec mirum, cum per tot loca labatur barbara. Valerius Flaccus libro 8:

*Torvus ubi & ripa semper metuendus utraque,
In freta per sævos Ister descendit alumnos.*

Noara.
Regus.

Corteras fluvius, ut Strabo ait, apud Lugenum & Tergestum, Sabum intrat, Sabus Draboram, Drabora Noaram, Noara apud Scorbiscas Danubium. Regus fluvius apud Noricos, apud Ratisbonam transmittitur, Teutonice *der Regen*. Vnde ait Celtes lib. 2 Odar.

*Sed nunc in oris Vrsula Noricis,
Qua Regus Istrum se sociat vago.*

Insuper *Almonus* fluvius Aureatenfis, cujus meminit Celtes in Odis: *Baccuntius* fluvius, cujus Bocatius & Plinius lib. 3, cap. 22, recordantur, juxta Sirmium in Savum influit. His adde *Iglam*, qui caput non procul à Marscheck loco producens, in Danubium se inter Trebetzich ac Petronel abscondit. Cursus ejus ab oriente in meridiem est. *Iglam* intrat Mura, prope Trefnitz. *Almonus* fluvius sapore piscium præstantissimus juxta Kelheim se in Istrum commutat. *Bernicus* non procul à Werd Danubio sociatur. *Isarus* etiam haud procul à Pletlingio se Istro associat, oppida transiens Landen, Lantzhatta, Sindelfingium, Monacum, Mosburgum, Mittenwaldium. Multa præterea flumina sunt, quorum Herodotus meminit, quæ per Scythiæ partes olim ita vocatas ad Danubium decurrunt. Primum Poratam vocant Scythæ, Græci vero Pyretum; secundus Tiarantus est; tertius Ararus; quartus Napolis; quintus Ordesus dictus est. Primus illorum ingens fit, & ad Auroram fluens cum Istro communicat. Secundus Tiarantus dictus, ad occidentem magis vergit. Cæteri tres, per medium illorum fluentes, Istro se immergunt.

Almonus.

Iglam.

Bernicus.

Isarus.

*Flumina è
Scythia in
Istrum la-
bentia se-
cundum
Herodo-
tum.*

Idem Herodotus. Inde, inquit, ex Agathyrsis *µαδης* fluvius, inde *αυρας* & *τιβης*, Aurarum & Tybifis: per Thraciam vero *αθρης* & *νοης*, Athres & Noës, & *αταρνης*, Atarnes. Ex Pœonia vero ac monte Rhodope *αγγρος*, Cius, medium eum interfundens. Ab Illyriis autem ad Aquilonem *αγγρος*, Angrus, qui planitiem Triballorum percurrentes in *βρογγιον*, Brongium incidit. Brongus vero in Istrum. Inde ex regione Ombricorum *καρπις*, Carpis fluvius, & alius *αλπις*, Alpis dictus, versus Boream tendunt & Istrum miscuntur. Sunt & alii, quorum Huttenus meminit in suo Panegyrico: *Parvus Iser, curvusque Lycus, Inus, Eser, Bemus, Nabus, Anus, Iglam, Thesia, &c.* Item Parthicus fluvius Sarmatiæ Istrum miscetur, ut ait Ammianus Marcellinus lib. 7, qui dum solus licentius fluit, spatia longa & lata sensim præterlabens, prope exitum in angustias accolarum ab impetu Romanorum alveo Danubii defenditur. Arabon fluvius inferioris Pannoniæ in Danubium defertur versus montem Cecium, juxta Corrodoium & Curtam, ut Ptolemæus ait. Est & Tibifis fluvius, qui è Carpatho oritur, & in Danubium defertur.

Parthicus.

Arabon.

Tibifis.

At his nobilior luculentiorque est *Ænus*, qui secundum Picum in Alpibus oritur:

*Atque sub æriis perlabitur Alpibus Ænus,
Ænus Casareis ardentia tecta caminis
Ducturus, &c.*

Revera autem ex Adula monte erumpit, ut Celtes ait:

*Qui Rheni Rhodanique parens, Ænique sonantis.
Descen-*